cuius pater erat edusius in ciuitate antiochia quae est iuxta locum qui dicitur dafnis. Haec erat audiens prelium diaconum per suam fenestram. sedens autem audiebat magnalia di. quemadmodum suscepit hominem dns saluator noster. & secundum adnuntiationem prophetarum. quomodo de uirgine natus est. & magi adorauerunt eum. & stellae uisionem. & angelorum clarificationē. signorumq; & prodigiorum uirtutem. & crucis gratiam. & ex mortuis resurrectionem. & manifestationem ad discipulos. & in caelis ascensionem. & ad dexteram patris sedentem. & inmortale eius regnum. Haec autem cum audiret beata uirgo a diacono per fenestram. sci spr inflammationē sufferre non potuit. sed cupiebat facie ad faciē uidere diaconum. & non ferens ardorem spr sci. dixit matri suae. Mater mea. audi me tuam filiam. Nihil enim sunt haec quae cottidie adoramus. Idola sunt de argento & auro & ferro & eramento plumbo & lapide & ligno. & de ossibus mortuorū contexta. quibus si aduenerit unus de galileis ante quam incipiat mane uerbo tantum omnes simul contereret. Mater autem eius dixit ad eam. Tace ne forte audiat pater tuus sensum tuum hunc. & ipsa dixit ad matrem suam. Notum tibi sit & meo patri. qm ego xpm adoro. quem per diaconum prelium didici perfecte pluribus diebus audiens per fenestram omnia mirabilia quae fecit dns. hic uero ds per signum crucis suae semper adest timentibus eum. Dicit enim. non est ds alius in quo saluemur. & haec cum dixisset. abiit in ecclesiam xpi adorationem. Mater autem eius in cubiculo uiro suo omnia narrauit. Diu uero cum uigilassent uenit eis sopor. & uidit edusius & uxor eius angelorum exercitum. & in medio xpm dicentem sibi. Uenite ad me. & ego regnū caelorum dabo uobis. Mane uero surrexerunt & stupebant in eis quae uiderunt. & tollentes suam filiam uenerunt ad ecclesiam di. una cum prelio diacono. & rogabant eum ut induceret eos ad epm optatum. quod & fecit ipse diaconus. Procidentes autem ad pedes epi obsecrabant ut acciperent signaculum xpi. Episcopus autem non consensit. donec adnuntiauerunt uisionem suam. quomodo eis uisus est xps. Dixerunt uero ei & desiderium uirginis de xpo. Edusius uero tondens capit suum & barbam. erat autem sacerdos idolorum. & procidentes ad pedes epi acceperunt tottres signaculum xpi. Edusius autē meruit honorem presbyterii. Anno uno & mensib. sex. & recessit de saeculo. Uirgo autē frequenter ibat ad ecclesiam di. Aegladius quidam scolasticus uidens uirginem frequenter euntem ad ecclesiam in desiderio eius uenit. & mittens mittebat uiros ac mulieres petens eam uxorem. quae omnibus illis dicebat. Desponsata sum xpo caelesti sponso. Ipse me custodit inmaculatam usq; ad aduentum suum. Aegladius autem congregans multitudinem uirorum. obseruans eam euntem ad ecclesiam. uolebat per uim rapere eam. Mulieres uero uel puelle quae cum ea erant exclamantes notum fecerunt in domo eius. & exeuntes cum gladiis & fustibus fugauerunt omnes. Uirgo uero signum crucis faciens sibi in fronte. salua fiebat ab omni temptatione. semper frequentans ecclesiam. & uacans orationi. Aegladius autē accessit ad cyprianum magum. & promisit ei duo talenta auri & argenti. ut per maleficia caperet ei uirginem iustinam. Ignorans infelix quia inuicta est uirtus xpi. Cyprianus autem per suas magicas artes. uocauit demonē. & demon ueniens. dixit ad eum. Quid me uocasti. Dixit ad eum cyprianus. Amo uirginem de galileis. potes suadere ei. & adducere eam mihi. Demon autem potestatē nullam habens. promisit ei. & cyprianus dixit demoni. Dic mihi opera tua & credam tibi. quia adducis mihi uirginem iustinam. Dicit ei demon. Ego desertor factus sum a do oboediens patri meo. Ego homines

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN
Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_846/0251